GARGILII MARTIALIS QUAE SUPERSUNT E CODICIBUS NEAPOLITANO…

Quintus Gargilius Martialis,
Angelo Maj

16. 6

GAR MARTIALIS

SUPERSUNT.

E CODICIBUS NEAPOLITANO
ET VATICANIS

ERUIT

ANGELUS MAJUS
BIBL. VATIC. PRAEFECTUS.

EDITIO IN GERMANIA PRIMA.

LUNAEBURGI
APUD HEROLDUM ET WAHLSTABIUM
1832.

PRAEFATIO.

Gargilius Martialis quo tempore vixerit, docet Lampridius in Alexandro Severo c. 37. qui ejus temporis scriptorem vocat, Vopiscus autem in Probo c. 2. inter Suetonium Tranquillum et Julium Capitolinum collocat. Incidit igitur aetas ipsius in saeculum III. a nato Christo. Proinde nescio quod in mentem venerit Servio, qui verba Virgilii explicans, ubi materiam de arboribus tangens his verbis utitur Georg. IV. 147.

Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis.
Praetereo, atque aliis post commemoranda relinquo,

haec addit: Gargilium Martialem significat. Quomodo enim Virgilius talem indigitare potest, qui tribus post saeculis demum in lucem prodiit? Volebat fortasse

scribere, illud, quod aliis Poeta reliquit, Gargilium Martialem post tria saecula demum executum esse.

Scripsit I. historiam Augustam, teste Lampridio in Alexandro Severo, et Vopisco in Probo, qui ad eum provocant; II. de hortis, teste Cassiodoro Divin. lect. cap. 28. qui hoc ipsum elogio mactat: „Quodsi hujus studii requirantur auctores, de hortis scripsit pulcherime Gargilius Martialis, qui et nutrimenta olerum, et virtutes eorum diligenter exposuit, ut ex illius commentarii lectione, praestante Domino, unusquisque et saturari valeat et sanari." Testis et Servius loc. allegato, tum imprimis Palladius, qui Gargilium de ficu, ceraso, amygdalis, nucibus, citro et aliis hujusmodi fructibus agentem citat.

Tandem de re veterinaria sive medicina animalium scripsisse, ex antiquis nemo equidem memorat, fragmentum tamen Curae boum superstes testatur. Illud habuit Jo. Rhodius, illiusque edendi

spem fecerat in Lexico Scriboniano p. 367. Edidit autem Christianus Schoettgenius in Scriptoribus Rei Rusticae, curante Jo. Matthia Gesnero, ex apographo Codicis monasterii Corbejensis, qui tunc temporis Coloniae apud S. Pantaleonis depositus erat, asservato in bibliotheca Lugduno-Batava.

Unicum id saltem monumentum erat, quod e Gargilii Martialis scriptis hucusque ad nos pervenit.

Illi accedunt nunc duo alia, ab Angelo Mejo detecta, nempe:

I. de arboribus pomiferis fragmentum, ex Codice rescripto bibliothecae regiae Neapolitanae, editumque in ejus: Classicorum auctorum e Vaticanis codicibus editorum Tomo I. p. 391—413.

II. de pomis seu medicina ex pomis, e Codicibus duobus medicis bibliothecae Vaticanae, editum in eadem collectione. Tom. III. p. 416—426.

Quae ex ista collectione magni apud nos pretii et in Germania raro obvia, in gratiam nostratium recudi curavimus, ut et nostra repetitio supplemento esse possit collectionibus Rei rusticae scriptorum, quae hucusque apud nos prodierint.

Ad scriptorum de re rustica enim corpus pertinuisse etiam scripta Gargilii Martialis, Petrus Victorius testatur in praefatione ad Catonem, Varronem et Columellam, scilicet in codicis manu exarati, quo ad hos scriptores restituendos usus est, inscriptione Gargilii Martialis quoque nomen adfuisse, quamvis ipsum opus defuerit,

GARGILIUS MARTIALIS

DE ARBORIBUS POMIFERIS.

Caput I. De cydoneis.

I. Verum de fructibus pauca nobis dicenda sunt. Sane ad montium devexa melius proveniunt, non in planis locis ... nra sin ... ci .. suu ... de raro nunc invenies .. ma ... infunduut et na ... nt fa ., ut putant .. ampliora, quae november affert, et matura cydonea legenda sunt ... juncta con ... subinde ... interd .. aut ex ... rere .... quo .. mi ... capessere ... omne con ... condiri etiam per cydoneum posse qu .... adfirmant ali ... traxisse aliquid olim de sapore adfixi mellis. Aliqui putant et in dolium vini olla nova conclusa, ut in eo obtecta natent, esse mittenda.

At nos non levi pondere adfirmamus, quod si melle linantur, in eo melius perseverant, et ubi tempus erit, speciosa exire policentur. Quidam patina nova sicco gypso separata subruunt. Eadem alii milio sive palea separata demergunt. Sunt qui singularem cretam cum amurca subigunt, soleque siccatis cydoneis inliniri existimant, si in loco sicco et frigido reponantur. Multi vel solam cretam sufficere crediderunt, si cum ramulis suis mala detracta et oblita in sole siccentur, ac si quid extra hiaverit, luto contegatur. Servantur et gypso inlita; sed aspera sunt sapore, quamvis et adspectui speciosa procedant. Consentiunt aliqui posse et scrobibus et in doliis, eodem modo, quo punica supra, vel alia servari. Quintilli cydonea in iscovs servata diuturna promittunt. Diligentioribus rectissime visum est praemonere, ne cum ceteris pomis cydoneum misceatur: sibimet censent reponendum, austeritatem ejus timentes, quae corrumpere solet, ut necesse est, quidquid de proximo adfuerit. Cydoneorum pondus adeo jumentis praeter cetera infestum est, ut remedia quoque contra haec nullas vires habere confertum sit.

Medicina ex cydoneis.

II. Cydonea plurimi medici emstomacho crediderunt. Eadem Discorides et diuretica existimat eusteritatis beneficio. Ceterum styptica coupprimere urinam magis, quam agere consuerunt. Cruda austeriora sunt. Cruda itaque metore coeliacis, dysentericis, sanguinem rejectantibus prosunt in cibo sumpta. Coquntur et cinere calidissimo farina involuta; et aegris, quorum diuturna jam febris est, sine periculo dantur: thoracis, et stomachi tormenta mitigant: aqua etiam caelesti madescunt.

Caput II. De persicis.

I. .... ossa sererentur, Curtius Justus et mense januario calidioribus locis putat posse disponi. Quintilli ormeuia sola consentiunt januario mense ponenda. Graecis omnibus fere autumnalis satio ratione naturali videtur electa; siquidem eo tempore cum pomis caducis ossa delapsa in nuvas plantas saepe videamus sine culturae adminiculis sua sponte fruticare. Ideoque plerique non ossa, sed poma ipsa mature integra existimant obruenda; ut ea res et ossi-

bus vicem stercoris praebeat, et pomis futuris inlibatum saporem, sicuti arbitrantur, adquirat. Tenet quosdam odieque vana persuasio, ut putent ossa, quae dente contacta sunt, aut prorsus extingui, aut infeliciter nasci. Sed frustrà id credidisse tunc sentiunt, cum coeperint experimenta consulere.

II. Sunt, qui ab exortu favoni persicum serere melius existiment: medio tamen tempore anxius atque sollicite ossa custodiunt. Et quidam primo recentia paucis diebus in cinere mergi patiuntur, ut quidquid umidi continent, illo siccaute deponant: post in umbra explicantur, et biduo ventilata cum terra soluta in qualo vel in fictili vase componuntur: atque tectum atque oblitum sulco ita infodiunt, ut accessum neque sol neque ventus inveniat.

III. Interest autem, cujusmodi statum caeli conditio regionis, calidum, frigidumne sortita sit. In calido merito sub ipsum tempus autumni ossa mergantur. Metus enim non est gelum; immo si qua corrupta deperéant, frigida relapsa hieme, cessabunt, cum ossibus exterius tempore resolutis, totam germinis sani vitam nucleus ex-

peritur. Mali denique tuno inservire arboribus debent, cum extra hiare coeperint. Huic sationi potest prodesse, quod generaliter Calsus agi scribit; ut ossa, priusquam terrae committantur, diebus quinque teneantur aquae innantia. Ut asserventur hiemalibus brumis subsidium temporis et humoris habemus in ceterum antumni. Idem facere supervacuum est, cum jam gelidae hiemis adventu frigus imberque veniat.

IV. Quolibet coelo, et quamvis macro solo, persicorum arborum poni Calsus existimat: idem tamen laetissimas fieri confidit, si remotione loci, blandimentum ceperunt, Curtius Justus inriguis et frigidis locis mallet aquam, et adjungit dolio aliquo supra posito, quod ab aquilone defendat; sic enim fieri, ut semina pecorum stercus ita ament, ut alia germina. Quintilli calidum aerem persico, et humidum solum addunt. Demissa temperes necessaria eis, ne siccitas anni ruat, et admodum exigua poma constringat; ac frequens umor enormi vastitate et inani sapore distendat. Graecorum celeberrimi auctores inrigua et hortensia ad huic arbori loca destinanda consenserunt; ubi humor, manu tem-

peratus, nocens ita verti potest, et ut possit induci. Idem persico solum pingue contrarium tum crediderunt: calculosum et harena, et sabulo proximum conveniet; sicuti ceteris omnibus, quae gummi glutine excludant.

V. Ordo sationis in persico talis est: crebrior in terra sulcus, duobus intermissis pedibus, aperitur; in quo osse deponi siccata, erecta, non altius debent, quam quod amplectitur trium mensura palmorum. Obruta ulterius, germine infirmo, ed superne non scandent. Infigenda autem terrae pars acutior, unde radicis exordium est. Commodissime quattuor palmis invicem separata ponuntur. Multi et fimo ossa circumdant, aqua leviter adrorant. Robustior tamen, etsi tardior, planta praecepit ex osse, quod simpliciter exponatur. Sunt qui in gastris vel qualis cribreta terre repletis ossa disponunt; unde mox plantas edultas in seminarium cum cespite suo transferant; et adfirmant, quod si pertranseant, gratioris saporis et suci amplioris poma tribuantur. Planta vero, quae de codice avellitur, autumnale tempus expostulat: huic namque arescendi periculum incumbit, nisi clar-

gus umor et frequens pluvia ei subvenerit. Moris est, fimo oblitam et inferioribus foliis deputatam, subacto solo, et praecedente punctorio, sicuti olera demergere, nam calcata plus justo, et terra densante constricta inertie ligni maturum sentit occasum.

VI. Sed utrisque frequens sarculi opera, et desiderata medicius continuae runcationis adhibendo est; ne tenero germini noceant flatus herbarum, neve densitas condegentium, solis atque aurae nutrimenta praecludat. Deinde etiam calamo, sive virgulto propius adfixo adminicula, quibus se tueri contra violentia ventorum flabra consuescant. Quae sollicitudo non amplius, quam unius anni spatio complectitur. Ceterum bima translata jam suis viribus nulli non repugnat injuriae.

VII. Scrobes altos arbor persici non amat; quippe cum modica radicum concessa substantia esset ei, nec cito vivet, contra aliarum arborum legem de superioribus partibus mutuatur alimentum. Hanc maxime existimant causam, propter quam sola maturius consenescat. Nec intervalla majore desiderat, ejusmodi folia sortita, quorum

tennis umbrae opacitatis incommodum non parat, quam scilicet binos pedes. Sic Curtius optime positas arbitratur. Quin immo inventi, qui densius consitas tutas existiment; tutiores dum se invicem praetegunt a solis ardoribus, quibus difficulter hoc genus arboris creditur repugnare.

VIII. Ablaqueare omnibus annis oportet novissimo autumno, et inhalantibus fibris de radice purgatis, folia sua in vicem stercoris cum terra molliore congerere; quantoque majore***

(Quae desunt, supplet Majus e Palladio novembr. VII.)

X. *** et magna fieri adseverant, si cum arbor in flore sit, lactis caprini per triduum ternis sextariis irrigetur. Omnibus persicis, maxime tamen praecoquis et armeniis, quotiens abundantibus pomis arbor honerata est, decerpenda sint aliqua: sic enim reliquis celerior maturitas inperatur. Sparto ligata, adversum plurima incommoda, ut amfore, existimant: et odieque nonnulli jumentorum soleas in itinera derelictas prae medio truncis ramisve suspendunt.

XI. Inseri persicus utroque modo potest, vel

in cortice, vel in ligno, praecedente fissura. Sed quantum propius ad terram recisa sit, eo melius insereretur; fortior est enim ejus pars ima. Quidquid in summo est, quoniam suci minus retinet, ut fragile ac putre damnatur. Inserendi tempus aptissimum novissimi autumni, si loca non sint adeo pruinosa; vel inter brumam, et exortum favoni, id est extremo decembri, ac deinde jannario; ita exigente praecoquo germine, quod saepe et ante veris adventum florere festinat. Meliores ad inserendum surculi habentur aliquatenus pleniores, et de ea parte sublati, quae ad propinqua arbori fuerit: vixque proveniet, aut non diu durat pars summa ramorum. Persicus et in semetipsam inseritur et in amygdalum et prunum: magisque durabilis arbor efficitur, cum surculi ejus in ligno fortiore cinguntur. Sed armenia vel praecoque peculiariter prunis insita floriora sunt. Cetera, id est duracina sic insita, in amygdalo melius adsuescunt. Ad haec ipsa prunorum atque amygdali germina difficilius, sed cito recurrunt in senectutem; quotiensque surculo alterius generis insita sint, infirmitatem suam confessa moriuntur.

XII. Sic quoque fiet emplastratio. Olea, persicus, sicuti et nonnulla ficus, et hujus generis cetera, quibus seponitur sucus pinguis, rite inoculantur, prius trunco reciso. Adverti deinde, mole justa plerunque esse, et diutius adservari, si non, ut Graeci, in glarea, argilla, sed in solo arenoso ponas. Et quidem solito more possunt emplastrari: quod agere in fine prodest mensis aprilis, sed initio maii satius proveniet.

XIII. Persicí pomum, nisi conditum muria et oxymelle, asservari diutius non potest; vixque hoc modo pervenit in alteram aestatem. Cutis exilitas et carnis squallor consentanee produbunt ad parsimoniam vetustatis. Plerunque temtarunt, ossibus detractis, more ficorum in sole siccare, atque in rigido servanda suspendere: vix in his aliquid suci inest, cujus admonere inane videtur. Ex veteribus multis suessatibus ollulis inpicato singula poma clausere umbilico, atque in sapam purissimam demissa mersserunt; sed hoc modo saepe in breve tempus flocescunt. Graecorum deprehendi ***

Caput III. De amygdalis.

I. *** fimum bubulum transferunt, neo ex eo nuces proferant ad sercodum, nisi cum hiascere coeperunt. Mego et Celsus scrobes altos latosque tribus pedibus effindunt: in eos terrae congerunt quam minutissima cum stercoris admixtione eatenus, ut pars dimidia compleatur. Ibi tris amygdala in medio trino angulari lege disponunt, quo inter se non palmo, ut Columellae videtur, sed pedis sive dodrantis spatio separentur. Acuta pars uncis ab utrisque prima defigitur; radices exitum moliuntur; sed in posterioribus dissentiunt. Siquidem faciem lateris in aquilonem Mago invertit; Celsus ad favonium dirigit. Columella cum dicat: „aceps nucis ad favooium spectet" et sioe dubio et ipse unum latus opponit aquilani. Supra nuces terre sesquipedis ingeritur: et si nec ullus imber fuerit, ter in mense seminibus expositis umoris alimeota subministrentur; et quidquid in summo scrobe indurait, levi sarculo relaxetur.

II. Ubi primum se germina ostenderint, quoniam tenuis illis stilus et flexuosus est, juxta vastior palus adfigitur, quo rami adminiculo, et

in valido requiescant, et scandere in rectum completum docent consuescere. Triennio exacto unum germen in loco permanet; reliqua eodem mense, quo sata sunt, ad scrobes transferuntur, ut pars aliqua fossurae convexa relinquatur: hanc paulatim adobruunt, singula arboris incrementa numerantes; tantumque radicibus cumuli largiuntur, quantum altitudinis truncus adjecerit.

III. Quintilli omnem agrum in seminario amygdalis destinatum ad sesquipedis altitudinem fodiunt: hunc in areas dividunt, quo canalibus umor infusus diutius inmoretur: dein per areas, intermisso pedis spatio, modicis scrobibus excitatis, ad digitorum quattuor altitudinem nuces merguut. Stercora in terra obruunt, parique, qua ceteri, cultura lene nutritas in scrobes post triennium transferunt. Mago primus, et post eum Diophanes, novam amygdali suadent ut ferulam primo seramus; eamque post annum recisam, et in media parte diffissam nuci amygdali, qua medullae sucus mollis est, compleamus: nec desinunt adseverare, quod arbor eiusmodi et robore et fructu pulcriore proveniat, sicut Co-

Iumella describit. Ferularem alio modu scribit; nam hoc tantum praestare amygdalis ferulas, ut illas faciant tarentinas.

IV. Et natura et mediocritas arborum suggerit, ne altissimo scrobe recondant. Illa intervalla etiam simili ratione moderanda sunt. Viginti et quinque nonnulli, quidam et viginti pedum justa pronuntiant. Bene Diophanas sit amygdalas in transitu esse ponendas, quoniam non semel maturant, et per partes se fructus ejus adcommodant: nec possent ita fures dispoliare, ut non aliquid, vel quia crudum videtur, domino relinquatur.

V. Levissima et minime sumtuosa cultura est earum putationis annuae scilicet: qua necesse sit, ramos supervacuos, vel enormiter natos, vel aliqua necessitate praefractos, falce purgare. Exigunt sane propter incursus pecorum custodiam diligentem, quorum dente contacta in amarum saporem ex dulcibus transeunt. Fossio contraria illis habetur, nam florem statim amittunt: quod malum illis vel a nobis non debet inferri, cum et alias periclitentur in flore, nubilo prius marcidae, deinde austris insequentibus concrematae,

VI. Plurimum generant. Si ferax non erit, terebrari in radicibus debet, et taxillus a taeda in foramen aptari: vel in locum taedae cuneus, qui esset ex robore. Quidam radicibus perforatis silicem adiciunt, et ita arboris librum patiuntur inolescere. In locis frigidis, in quibus metus est, ne in flore deprensas pruina conburat, hoc modo tradunt amygdalis subveniri: ante quam floreant, nudare radices iubent, et albi generis lapides quam minutissimos cum arenae cumulo adgregant: cumque jam tempus videbitur, ut debeant germinare, fodere, atque removere, quae fuerant infusa, praecipiunt.

VII. Ut teneras nuces procreent, utile erit, ablaqueatis radicibus, ante quam floreant, aqua calida per aliquos dies irrigata. Fiunt dulcia ex amaris, si circumfosso stipite tribus a radicibus digitis latior caverna ponitur, qua pruina decurrat; post media trunci parte terebrata cuneum, qui esset ex arboris quidem radicibus, simplici delibutum melle fixerunt. Nec minus utile est si effundatur stercus suillum humano lotio resolutum et radicibus superfusum. Aristoteles in georgicis amaritudinem amygdali

fraglanti soli adsignat; quam crebrius exustae dulcior sucus hauriatur. Illico praesto videtur, ex morsu pecorum omnia haec arbori amaritosa contingere, cum inopinata in medullas saliva consederit. Si viridibus auferas tenuiora, quacquae liqueris, meliora sunt.

VIII. A. kal. aprilis, ut putat Celsus, incipiunt esse matura; ac si adservanda delgi placeat, signum maturitatis ostendunt, cum corticem remiserunt. Sunt, quibus cortex difficulter abscedat, sed si paleis obruuntur, calore solari illico resolves: tum corio liberatae, si quis aqua marina lavet * * *

Caput IV. De castaneis.

I. * * * conripiat, quales illae fuerunt, de quibus pastor ita praecinit: „mea quas Amaryllis amabat". Mago breviter, ut poenus, et cui peregrinae ejusmodi arboris minus nota cultura sit. „castaneam in umido, sicut graecam nucem serito". Cornelium tamen Celsum italicae disciplinae peritissimum decuit aliquatenus edocere, quidquid Magonis ignorantiam fugerat. Sed et ipse castaneas amygdalo, eorum exemplo,

rejectat. **Columella**, cui curae fuit diligentius et de castanea conscribere, etiam ipse indifferenter, et varia sententiam promit; fluxe enim ita scribit. Adfirmat a novembri mense per totam biemem seri posse: nunciat kal. martias in idus easdem, ne quid intersit; et plantat; ut quandoque quae sine culpa manus veniat, scire possimus. Etiam **Cajus Plinius**, quamquam ipse sationem caednam adsentiatur, hiemali tamen primum tribuit. **Julius Atticus** ex novembri in februarium mansem serere indecrevit. **Curtius Justus** sationem nucis primam decembri, secundam februario adsignat. **Julio Frontico**, cum et solide de genere et alia ratione culturae nonnulla tractaret, non fuit culturae alia norma, quando rectissime castaneae sererentur. **Quintilliis** in satione castaneae vergiliarum non omittendus occasus.

II. Sed et quibusdam Graecis placet ab arcturi exortu serere castaneam. Nec inmerito naturam secuti, quibuscumque tempus hoc placuit. Tunc enim seminis, id est, nus, justa maturitas creditur, adeo ut hiante tegumento si legent tum manus condat in terra, ut caduca

labantur. Sed ad hoc accedit, quod nux reservate difficile sit contra putredinem vindicare. Sane igitur et motum debet exponi: quorum alterum spondet de incolumitate perseverandi, alterum prodest de virtute generandi.

III. Contendunt plerique Graecorum castaneam melius ex verna satione procedere; si tamen nux anxie atque sollicite condita servetur expansa. Et tunc in angustum locum siccumque translatae eriguntur in cumulum: supra eas ita, ut universas obtegat, funditur arena fluvialis, quae et pinguis et dulcis est: post trigesimum diem eadem harena removetur; et in nucibus in aquam frigidam missis sanas e corruptis sic licet segregare; nam corruptae supernatant, sanae residunt. Illae igitur, quae placere meruerunt, rursus in harenam, sicut antea, reponuntur; et post alterum mensem, si quae forsan integrae debent credi, aqua judicando temptatur. Hoc idem fit tertio mense, donec vernum tempus advenit, quo satis nucibus nec includi jam necesse est, nec probari diligentioribus.

IV. Non in lavimento, sed vasibus servanda harena, ut similiter infleat. Quidam in plantis

juxta arborem sponte nascentibus castaneas conservandas esse dixerant. Sed ejusmodi planta tardissime provenit, et continuo biennio languida est; vix ut demum vel illam sucus recreet, qui consequitur, quem non habuerat, cum dilata non esset. Inventi tamen, qui de nucibus ex hoc genere plantarum audeant aliquod facere discrimen; et nuces credant caeduis arboribus aptiores, plantas vero nucibus procreandis esse utiliores: si tamen fas est, ut admittere in animum debeamus, quod lignum in poma proficiat, fructus in ligna desistat.

V. Solum castanea desiderat molle et subactum; non tamen arenosum patitur et sabulum. Si umor adfuerit, pulla terra vel maxime prodest: sed et carbunculus, itemque tofus optime servit diligenter infractus. Spissum rubricosum locum non vult: vix provenit in argilla: in glarea cretaque nec nascitur.

VI. De caeli qualitate nonnulla inter autores varietas opinionis exoritur. Calens ante oculos habens, quid pomis expedirat, calidas efricas regiones castaneae aptissimas credit. Id illo argumento probat, quod Neapolis Campaniae ci-

vitas eo fructu maxime gloriétur: prudentissimi tamen postea adjunxit, quod et frigidis locis conseri possit, quaa fere omnes anteponenda senserunt. Julius Atticus opacis et septentrionem spectantibus clivis laetissimum fieri castaneae pollicetur. Columella et Plinius in eadem fere verba consentiunt. Quintilli montana sine dubio et umida et frigida principaliter probaverunt: si tamen in campo necesse'st ponere, tenuem locum, et hunc harenosum existimant diligendum, aut juxta viciniam fluminis, si tamen limus ex eo stare non soleat. Snot qui putent et in declivibus locis castaneas optume provenire.

VII. Majori parti placet in pastinatis omnino ponere, ita ut terra confracta in duorum pedum altitudinem sublevetur. Columella et Atticus addendum adhuc altitudini semissem putaverunt. Sunt aliquot ex Graecis, quibus mensura non satis justa sit, nisi quae tribus pedibus excreverit. Et fortasse singulis satio consistat; nam qui dipondi brevitate contenti sunt, seminarium cogitant: et potest qualiscumque mensura, nucibus exceptis, alere plantas post biennium recessuras: sed qui semina mansura condebant, non inmerito ampliorem radicibus paraverunt, uti arbor habuerit, quantum ***

GARGILII MARTIALIS.

DE POMIS

SEU MEDICINA EX POMIS.

1. Malorum genera sunt multa, tamen duo sapores. Dulcia vix egeruntur, flegma nutriunt, fellis ardorem movent, inflationes faciunt, quamvis humida et frigida sint. Cocta obvoluta farina cinari trita oculorum tumores tollunt.

2. Mala acida et matura omnibus commoda, et bene digeruntur. Sunt et agrestia mala quae restringunt. Cocta bene digeruntur. Sucus eorum suspiriosis prodest.

3. Pyrorum natura styptica. Genera sunt multa: quaedam acida, quaedam dulciora, quaedam austera. Acida habent aliquid caloris: unde plerumque dissolvunt stomachum inhaerentem flegmati densissimo. Dulcia, quae sunt aquata et soluta, nihil in se, neque frigidi neque calidi continent. Ex quibus singulis, pro discretione

rerum et necessitate causarum, ordinanda etiam sunt subsidia medelarum. Austera et acida stomacho conveniunt, sitim movent: dulcia omnia contraria. Ante cibum sumpta ventrem stringunt; post cibum ventrem resolvunt.

4. Cydonia plurimi anstomacha vocaverunt. Styptica urinam comprimunt propter austeritatem. Cruda austeriora, cocta grata. Cruda et matura coeliacis, dysentericis, sanguinem reicientibus prosunt. Cocta in cinere obvoluta farina dantur in febribus laborantibus. Incisa cocta in aqua, dato stomacho dolentibus. Vinum eorum dysentericis, coeliacis, nauseantibus, sanguinem spuentibus potui dato. Cocta in mulso, trita stomacho ioposita defectiones tollunt.

5. Persicorum cibus stomacho inutilis, quod cito sucus ejus aciscat, et caro ejus indigestionem faciat. Tamen post cibum utiliter dantur: nec non et cocti in jure cum pullo gallinaceo, nauseam restringunt. Folia eorum trita cum calda contra lumbricos similiter et umbilico inponantur. Nucleos persicorum cum aceto et oleo capitis dolentis fronti inlinito. Gummi eorum

in pusco sanguinem reicientibus potui dato. Succus foliorum ejus vulnere aurium vermes habentium curat.

6. Armeniaca calida et styptica, stomacho valde utiliora in cibo sumpta.

7. Cytriorum non una eademque virtus in omnibus partibus: cortex thermanticus: caro alba media temperata acrimonia cum semine, styptica. cortex austarioris naturae, modice sumptus, aut in potione calida diutius immersus digestionem operatur. Caro ejus alba flegma nutrit, foramine interiora cladit, et stomachum opprimit, tarde coquitur, indigestiones facit. Acrimonia ejus cum semine trita morsui canino succurrit. Incisum, cum omnibus in se coctum, serpentium morsus et fungorum venena curat.

8. Pruni pomum recens ventrem solvit, stomacho contrarium est: siccum non tam molestum est: in mulso coctum alvum commovet.

9. Mespila hiemalia majora ventrem purgant. Asperrimus in mespilis fructus fluxum ventris fortiter detinet, et stomachum dissolutum stringit: viscida et constrictiva sunt immatura.

10. Zeziparum calidum est, stomachum gravat, sitim movet: veterrimum urinam movet. Folia ejus trita rum pomis et vino potui data splenenticis et hydropicis.

11. Sorba et praecocia poma eorum viscida et constrictiva sunt.

12. Ficorum natura calidissima est. Aridi humectant et deducunt: humectant quidem, quia pingui suco sunt; calefaciunt autem propter sucum. Egeritur etiam dulcedo eorum. Primi eorum, qui fuerint, pessimi sunt propter nimium sucum. Sicci calidissimi sunt, sed egeruntur. Cocti in aqua cum hyssopo omnia pulmonum vitia cum tusse curant. Triti cum melle, carbunculum rurant.

13. Uva calida est et humida, sed egeritur, maxime tamen alba: quae autem immatura est, minus celefacit; sed mustum tantum purgat. Passa vero uva egeritur quidem, sed exurit. Enucleata quidem trita cum cymino omnes indigestiones et tumores verendorum sive carbunculos rurat.

14. Mororum poma ad praesens stomacho utilia, eo quod refrigerant. Quod si alius cibus

non superveniat, inaciscunt. Fit ex suco mori medicamen mirificum contra omnia vitia oris, faucium, arteriarum vel dentium. Sucum pomorum maturissimorum lento igne coctum ad mellis crassitudinem, mitis aluminis scissi, myrrhae singulas drachmas, simul commisceto, et cum pions perungue.

15. Myxorum virtutem frigidam suspicamur: ardorem febricitantium extinguunt. Ore compressus sucus glutiatur: in cibo sumptus stomachum egerit: solutioni ventris obsistit: trita et cum fabae pulvere mixtus inpositus collectiones supportare non patitur. Ossa combusta, trita cum butyro, combustis medentur.

16. Ceresia viride pomum ventrem humectat et provocat; aridum siccat ac detinet: viride stomacho contrarium est, siccum utile. In hoc pomo tres inesse virtutes suspicamur. In quibusdam sapor austerus est, in aliis acidus, in aliis dulcis. Austerae ventrem constringunt, stomachum confortant. Acidae judicantur flegmate abundantibus stomachis opportunae: nam magis siccant, et crassitudinem dentium otisque humorem incidunt. Dulces stomacho contrariae,

Citius antem praenestinae fluunt. Gummius eorum ore detentus et glutiendus artariam linit, vetustissimam tussem compescit: cum maro potatus calculos frangit.

17. Tuber virtutem habet stypticam. Poma ipsa commixte, stomacho nauseanti, fluxui ventris, et sanguinem reicientibus prosunt.

18. Avellanae praenestinae stringunt; coctae antem minus. In cibo sumptae capiti dolorem incutiunt, stomachi inflationem distendunt, corpori sano pinguedinem conferunt. Nuclei earum triti, cum mulso potati veterem tussem compescunt.

19. Castaneae, suaves cibo, difficilis digestionis, virides stringunt, coctae minus. In cinere aut in vasa fictili assatae, tritae cum melle, jejunis tussientibus datae prosunt. Aqua, in qua coctae fuerint, datur coeliacis, dysentericis et sanguinem conspuentibus.

20. Balanarum glandes virides stringunt, coctae minus indigestionem faciunt.

21. Pistaciorum virtus austera et styptica est, stomacho adcommoda. Pulmones purgant in cibo sumpti: triti cum vino contra omnes morsus juvant.

22. Nuces rotundae virides, utpote adhuc aquatioris humoris, stypticae et frigidae virtutis, stomacho aliquid vigoris adquirunt, ventrem molliunt: maturae nutriunt et egeruntur, cum fuerint mundae, inflant: cortices vero earum stringunt. Siccae vero nuces duae, cum totidem ficis, et XX. rutae foliis addito salis grano conteruntur, et in vino commixtae contra omnia venena repugnant. Tritae cum corio suo, umbilico inpositae, lumbricos occidunt. Folia earum cum aceto trita, auribus instillata, auditum praebent.

23. Amygdalarum dulcium virtutes calidissimae sunt et nutriunt. Calidae sunt ob pinguedinem; nutriunt, quia carnosae. Amygdala recens stomachum onerat; sicca cum pellicula sua commixta, stomacho utilis, venerem movet, ebrietatem arcet, somnum facit. Trita cum mentarum succo, sanguinem reicientes juvat. Nuclei torti triti sucus tussem tollit. Amygdalae amarae fortiores sunt: spleni, jecinori, morbo regio, nucleos tritos cum melle potui dato. Cum oleo tritas in aurem stillato: autiquam surditam tollunt. Tritae cum aceto vulnera in mento nata et impetigines tollunt. Gummi earum ex pusca dantur sanguinem reicientibus. Hepaticis congruae sunt, purgato cortice in aqua tepida, et sic commadentur.

24. [Malorum granatorum] multae virtutes sunt: dulcia et acida, vinolenta et acerba. Dulcia habent aliquid caloris, ideo inflammationes stomachi commovent et egeruntur, et ex parte nutriunt. Febricitantibus non dantur. Acida frigidiora stomacho adcommoda, urinam commovent, pulmones refrigerant, jecinore laborantibus succurrunt. Vinolenta in usu mediura sunt, quia mediae virtotis sunt. Acerba illa sunt, quibus folia curvantur. Frigida siccata constringunt. Post haec omnia aperiua appellantur. Sucus malorum granatorum acidorum stomachum nauseantem stringit. Mala cum granis suis in partes duas divisa in aqua cocta potui dato coeliacis et dysentericis: integra cocta, in vino pota, coutra lumbricos et tineas. Cortex sicca cum galla equi trita vitia dentium curat. Cocta in vino trita perniciones et tumores omnes tollit gingivarum. Aqua, in qua cocta fuerit, gargarizatur contra tumores gingivarum. Flos ejus arboris, qui emuouruas vocatur, siccatur in umbra: tritus omuibus vulneribus medetur: cum melle tritus vulnera oris curat.

25. Piuorum nuclei calidissimi sunt: fortius ventrem commovent, stomachum et renes calefaciunt, urinam purgant: cum vino dulci potati ventrem movent. Fit ex iisdem oxyporium utile. Nucleos purgatos lasere, nitro, cymino, palmulis admixtos, cum melle dato: flegmaticos curant.

26. Palmarum thebaicarum vel nicolaorum poma sunt dactylica; habent aliquid caloris: cocta in vino stomachi dolorem tollunt. Cibus eorum nutrit corpus. Recentia somnum faciunt, capitia dolorem movent: sicca stomacho commoda. Tussem cum sanguine compescunt in cibu sumpta, aut si coctio eorum libatur. Trita cum mastice et stomacho apposita, defectionem et sudorem nimium tollunt. Ossa eorum combusla et trita cum gallis granati et sicco cortice, sanguinem de naribus sistunt. Membrana quae ossibus inerit, scissa labia glutinat: carbonibus fumata, [ut ait] Hippocratas, extrahunt partum. Fit ex iis emplastrum mirificum, quod phoenicium appellatur. Cortex ejus viridis et tenera tunsa cum resina et ceteris pari pondere confecta, vulnera interius et podagras desiccat; surditiem purgat. Recentia ejus poma facilius egeruntur, et eorum virtus, ut myrrha, calefacit.

CURAE BOUM
EX CORPORE
GARGILII MARTIALIS.

Ad boum morbam. Salem tritum per cornu cum vino in potionem dabis. Boves morbos [1]) ne noceat, dato sumptas salis, terna lauri folia, et totidem porri sectivi et ulpici elii [2]) ternas spicas, turis grandis grana terna, herbae sabinae erbas ternas, rutae cauliculos ternos, sambuci carbones [3]) ternos. Haec omnia sub dio coeli per triduum ex eadem potionem data: adjecto scilicet vino. Quod ita partieris, ut sequas potiones per triduum accipiat. Sane is, qui dabit, sublime stet, et vaso ligneo infundat in os, deiciat in gutture. Boves si aegrotare coeperint, dato continuo ovum gallinaceum, quod crudum integro [4]) facito ut devoret. [5]) Postero die caput ulpici elli [6]). Bos si aegrotat, quotidie ei dato unam eminam [7]) vini et exercere bene vivere remedium. si aegrotat herbam centauream

1) morbus.
2) allii.
3) turiones.
4) integre vel integrum.
5) devorent
6) allii.
7) heminam.

coutrita [8]) ex viuo infunde par cornum. Bos si aegrotat, mariam salsamenti optimam et malum terrae aquae sext. aceti sil. ruta conterito et labris perfricato. Vel radicem herbam personaciae [9]) conterito et primo die dato unc. I. Vinique sext. I. et aquae. Bos si aegrotat, junci radicem decoques et per coreum dabis. Bos si tussiet aut si suspiravit, terrae malum, ovum crudum et adipem suillum, et vinum vetus, adipem tamen prius liquefacito et dato; juvet; vel marrubium cum vino datur. Si bos cullum subtorserit, ebulo contrito perunguitur, saepe [10]) vel medullam taurina, prius tamen axungiem perfricato. Si in collum nervi laboraverint, sumito corticem novam de subero, comburito, ut carbones fiant et terito ex vino veteri et axungia bene inter se commixto et perfricato, ei [11]) collo pili saepius defluunt. Ulmi vernaculi radicem ex vino decoquitur [12]) ad tertiam, et eam, cum opus non faciet, saepius perungasto, vel adipem ursinam vel medullam taurinam, prius tamen axungia perfricato. Si bovi intestina dolebunt, sumito vini sext. III. et olei emin. et permixtum per cornum et curat remediabitur. Item aliud.

8) contritam
9) personatam. Columell. VI. 17. 1.
10) sepum.
11) si
12) decoquito.

Salis pugnum et cepae capita X. pariter conterito et in offae modum reficito, eam in anum bobis inicito et fac eum arare continuo folli et sanus erit. Scabies bobis neves. et erbam sisarum tundes et ex eo pecus lavabis. Et ex aqua, in qua lupini decocti fuerint, nihilominus lavabis. Bobus et caeteris pecoribus scabiem ut discuties intibum silvaticum conteris et perunguis. Bos aut asinum si eosdem morbos inciderint, sumito scilla aut rumuise [13]) radicem, id est, spinam albam quam tenerrimam, et in aquam infundito. Ex qua per dies quatuordecim bibat. Unde expurgabuntur et sanitas consequitur. Irundinem si bos devoraverit, cimicem conteres, et ad nares ejus admovebis, statim eicies. Bos si non rumigat, [14]) salicis folia aut corticem ejus viridissimam contundito, et in eo sext. vini addito, et olei partem quartam in se bene misceto, et per cornum bovi infundito. Intestinum enim movit ut pedere non cesset enovit sanabitur. Jumenta si [15]) potionabis. Stereus leporinum et cepam siccam cum vino conterito; et per cornu dato. Jomentum ruscones si babebit, alium cum axungia couteris et dabis. aegri des remedium foeniculi cum cepa conteris et potionabis jumenta.

13) rhamni.
14) ruminat.
15) sic.

Si crocinabuntur jumenta, marrubium et axungia couteris et in vino dabis. Ad glandulas jumentorum. Luna XIV. mane, antequam manus leves, jumenta omnia impedimenta tollis, et manus [16]) sinistra digito medicinali de glandulam adprehendis et haec dicis: Scuti [17]) precante nec lapis lanam feri: nec lumbicos [18]) oculos habet nec mula parit. Utriculum cossia berpiosum arbor fuit manu bumane haec ipsa concisa, corbo factus est et si tuber, si panus evala subula nec eris nec radices agas. Hoc semel dices. Si jumentum stercus gallinacium comederit, brassicam agrestem terito cum oleo et aceto, bibat per cornum Ad abundantiam sanguinis genestam viridem coeterito et eam in vino sive in aquam permixtam da'o per cornum. Jumentum si malo habuerit, cineres, lixive, [19]) cyatos VIII. olei cyatos VI. consubige et in se et dat. [20]) bibat per cornum et currat ne minus horem eut seniores [21]). Ut bene valeant. Ypopomaces [22]) unc. I. conteris ex vino dabis potionem.

Ad scabiem jumentorum. Arabis bituminis po. III. sulfuris po. II. picis liquidae po. VI picem,

16) manu, vel manus sinistrae.
17) Versus sunt tenaxi.
18) lumbricus
19) cineres lixivii
20) misce et dato
21) semis. ... ut bene valeant.
22) apopanacis.

mentam, oleum, mitte in ollam integram, sine quiescat. Dein super infricato, qui et trita erunt, et quae soleta [23]) adice. bitumen, sulfur nigro et ita infunde, sed diligenter coques ne ferveat, sed leue igni vel carbonibus calefacito et remobes ab igne et colas, ac resolutum prius aceto admiscebis. Hoc medicamento perunguis jumenta alternis diebus plus bis aut quater. Ad pitnitas. Aniscis [24]) unc. III. benetoris [25]) dabis cum vino permixtos cyatos VI. ad cornum. Ex qua medicamento etiam per sinistram narem duas dragmas infundis. Item aliud. Stercoris scrufini [26]) pulverem contritum diligenterque cribratum studiose servabis, ut si quando jumento pituita molesta erit, ex confecto pulvere cum vino vetari, quantum videtur posse sufficare, per cornum deicias, et sanabitur statim. Si quod jumentum cujuslibet generis stranguriam patitur, de sinistra manica tunicae pediculum eximis, eumque in aurem equi sinistram conicies, continuo sanabis. Sed cum hoc facies, pediculum omnino non nomines. Si quod jumentum mus coecum [27]) morderit, acetum acrum bene cum orbita [28]) infundito, et cum subigis et coecum tollis,

23) Dein super infricato quae trita erunt et quas solida.
24) anisi.
25) bene teris.
26) Scrofini.
27) mus vel caecilia. Colom. VI. 17. 1.
28) creta. Col. VI. 17. 6.

et iode seu ferreo morsum bene compungito, et supradicta terra confricato. Hnc per triduum facito et cornu cervino suffumigato. Ad vermes necandos scyllae succum instilleto ac pice liquida tangito. Boves si pedes attriverint, priusquam in viam mittas, pice liquide cornua perunguito. Famicem [29]) si boves habuerint, sale et aceto diligenter eluito post aeris flos contritum commixtum cum axungia vel alumine solo, vel galla cum alumine.

29) Tumorem.

FRAGMENTUM

GARGILII MARTIALIS.

Graeci quidem polion, alii etc. Latini conule, Martialis polium, neptunia.

Apulejus de herbis. cap. LVII.